

Bibliothèque numérique



Capdeville, Pierre - candidat / Le  
Laumier, Etienne-Pierre - président. -  
De fractura nasi

1763.

*Paris : Typis P. AL. Le Prieur,  
Regii Chirurgorum Collegii  
Typographi.*

Cote : ms 2342, n°94



Nouvel

**D. O. M.**  
 DE FRACTURA NASI      *alterthore  
nre  
Soutenu  
qu'yes alle  
de me  
Desfrumau  
qui suit*  
**THESES**  
 ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

§. I.



ON satis erat ad Economiae Animalis comple-  
mentum & securitatem , ope tactus , visus , audi-  
tus & gustus , corporum ambientium præsen-  
tiam , numerum , speciem & modificationes per-  
cipere ; de illis insuper , mediante partium volati-  
lium ex iisdem corporibus jugiter exhalatarum  
effluvio , judicandum erat , ut partes colligerentur ac fervarentur  
utiles , & vitarentur , aut procul abjicerentur nocivæ . Organum  
peculiare huicce functioni perficiendæ idoneum institui & ita dis-  
poni debebat , ut aëri corpuscula volatilia vehenti quasi occurreret ,

A

2

liberum ipsi permitteret aditum, & sensu exquisito donatam simul & sufficientem innumeræ horumce atomorum copiæ offerret superficiem, tandem ut ab injuriâ exteriorum defenderetur pars Organii delicatiōr. Talibus insignitur dotibus pars eminens in mediâ facie posita; Nasus ipsi nomen. Tanquam pars unica in duas cavitates divisa quæ dicuntur nares, primo intuitu videtur; sed accuratiū exploratā, partes diversi generis & cavitates multiplices in ipsâ deteguntur. Cutis, musculi, ossa, cartilagines, membranæ, vasa, nervi, & glandulæ, ad ipsius compositionem concurrunt; cellulæ & aperturæ intus excavantur.

### §. II.

CUTIS quæ totum caput involvit, se se etiam super Nasum expandit & illum obtagit; paucissima pinguedinis copia substernitur; glandulæ sebaceæ juxta extremitatem inferiorem seu lobulum Nasi circumjacent. Fibræ musculares deinde veniunt in conspectum; in sex musculos dividi possunt, Pyramidales scilicet geminos, Obliquos descendentes duos, totidemque Myrti-formes. Pyramidales, aliter redi, triangulares anteriores, proceri Nasi, cum fibris muscularum frontalium & super-ciliarium confundi videntur, & adhærent lateribus Nasi usque ad narum margines. Obliqui descendentes, seu laterales, à processu angulari five nasi ossis maxillaris punctum mutuantur fixum, & pyramidales concomitantur. Myrti-formes tandem, seu transversales, seu inferiores, ab osse maxillari, prope alveolum dentis canini, obliquè ad cartilagines laterales Nasi tendunt. Sex illi musculi dilatationi narum videntur inservire; constrictio libera potius ab elasticitate propriâ cartilaginum Nasi, quam ab actione musculari pendet. Fasciculus fibrarum muscularium, à musculo orbiculari labiorum ad cartilaginem medianam Nasi tendens, pro constrictore narum inter constrictionem coactam haberi potest; constrictoris tamen vices vix solus gerit; narum constrictio major semi-orbicularis superioris & myrti-formium simultaneæ contractioni potius tribuenda.

SUBLATIS partibus modo descriptis, statim prodeunt ossa quæ superiorem, firmiorem & immobilem Nasi substantiam constituant, necnon cartilagines quæ inferiorem, flexilem & mobiliem efformant. Exigua duo illa ossa, figuræ oblongæ & quadrangulæ, angustiora sursum, latiora deorsum, sibi invicem jun-

guntur. Ex hâc coadunatione <sup>3</sup> fornícis quædam exurgit species ; quæ extùs paululùm depresso , sed intùs est æqualiter concava. Duas facies , anteriorem quippè & posteriorem , seu externam & internam , quatuor margines , superiorem , inferiorem , internum & externum , præbet os alterutrumque. Limborum superior cum osse coronali jungitur , exterior cum apophysi ossis maxillaris partem lateralem & osseam Nasi constitente , interior cum limbo interiori ossis nasalis vicini , inferior denticulis asperatur & cartilaginibus adhæsionem suppeditat.

QUINQUE cartilaginiæ præcipuas infra Nasi ossa animadvertere est , medianam nempè quæ partem inferiorem septi Nasalis producit , & quatuor laterales , quarum duæ anteriores apicem nasi , & duæ posteriores alas efformant. Spatiola inter cartilaginiæ posita re- plent aliquando aliæ cartilaginiæ exiguae , membranæ ligamen- tosæ , glandulæ & vase ; undè numerus cartilaginum apud austores varius habetur. In extremitate inferiori cartilaginis mediae , quatuor inter laterales , appendix adest mollis , flexilis & mobiliis , quæ ex adipe & cute conflatur , parietem Nasi medianum perficit , & Infra-septum dici solet.

CUTIS ab extremitate Nasi videtur discedere , ut interiores illius petat meatus & anfractus ; in membranam structurâ & nomine diversam convertitur , quæ humore lymphatico , Pituitâ ab antiquis dicto , semper madefit ; undè Pituitariæ nomine cognoscitur : de hujus naturâ & usu fusiùs & accuratiùs , quâm qui ante ipsum viguerant Physiologici , differuit Conrad. Victor Schneider : idcirco membrana Schneideri sàpè nuncupatur. Mollis est , spongiosa , vasculis sanguineis & lymphaticis , necnon corpusculis glandulosis referta , filamentis nerveis per totam ipsius substantiam distributis instructa ; se se inflebit , contorquet , implicat ; cellulas & sinus frontales , sphenoidales , maxillaresque ingreditur & investit ; ex ijsdem exit , se se evolvit , & explicat. Tam mirâ dispositione , majori vasorum & nervorum expansioni , glandularum numerosiori copiæ locum dat ; indè secre- tioni mucûs abundantiori , & sensationi exquisitiori omnimodè favet.

NON solum membranâ pituitariâ induuntur sedulò ossium & cartilaginum Nasi parietes interni , sed præterea periosteо & peri- chondrio donantur intùs & extùs. Non itaque videri debet insolu- tum dolorificas admodùm evadere fracturas harumce partium ,

A ij

4

& accidentia ex illis in organa ambientia, imò & in caput ferè totum, redundare; quod quidem magis patescit ex vasorum & nervorum nasi descriptione.

R A M U S externus maxillaris arteriæ carotidis externæ sanguinem propellit ad latera, musculos & cartilagines narium, deinde ad musculos, orbicularem nempè palpebrarum, superciliarem & frontalem; ramus alter ejusdem arteriæ, idest, maxillaris internus, ramulum per foramen spheno-palatinum ad membranam pituitariam emittit. Venulæ per nares divaricatae convergunt utrinquè in ramos qui cartilagines laterales & ossa Nasi trahiciunt, in venam angularem jam jam exonerandi. Insuper, angularis excipit venas frontis & ramum ab orbitâ egredientem qui cum sinus durae meningis mediante sinu orbitario agit anastomosim. Tandem, vena angularis sanguinem à partibus modò dictis revertentem vehit ad venam jugularem.

PAR primum & anterius nervorum è crano exeuntium membranæ pituitariæ per innumera filamenta distribuitur & fœderatur cum parte superiore seu orbitariâ nervi quinti paris, ope ramî nasalis ex orbitâ in nares imò & in cranium ingredientis, deinde è crano in nares revertentis, & ab orbitâ ad partes vicinas, nec non ad musculum pyramidalem & tegumenta Nasi progradientis. Præterea, partes Nasi exteriores à secundo ramo quinti paris maxillari superiori dicto, mediante infra-orbitario; & interiores ab eodem ramo, mediante spheno-palatino, nec non à maxillari inferiori, ramulos excipiunt. Notandum nunc supereft quintum par in totâ facie subdistribui & adesse communionem mediatam inter vasa Nasi & præcipua vasa capitis, proindèque facilius explicari posse accidentium fracturæ Nasi per totum caput propagationem.

### § III.

Quò excelsior est Nasi positio & in mediâ facie magis prominet, eò læsionibus exponitur magis: sive enim antrorsum decidat corpus humanum, sive substantia quædam inimica in faciem occurrat, vel projiciatur, tunc Nasus se se offert, & cæteram yultus superficiem defendere videtur, recessum hujuscem substantiæ quantum in se est promovendo. Quidquid opponere valeat ossium Nasi compacta & per modum fornicis solida structura,

nonnunquam cedere cogitur lapsu vehementiori, ictibus validioribus, corporum duriorum impulsioni, ex. g. lapidum, metallorum, glandium plumborum aut aliorum cuiuscumque speciei armorum sclopetariorum. Diversæ ex illorum actione oriri possunt fracturæ; vel enim fiunt in uno osse absque ullâ complicatione, vel in duobus pariter absque alio affectu, quod tamen rarissimum; illæ simplices, hæ verò compositæ dici poterunt; aut in uno osse Nasi, duabusve simul, causâ, morbo, aut affectu morboso stipatae, & pro complicatis habebuntur; quæ quidem ultima species cæteris est frequentior propter tenuitatem tegumentorum ossium Nasi, quæ vulneribus plerumque locum dat, & propter delicatam membranæ interioris Nasi fabricam, nec non vasorum exteriorum cum interioribus commercium, quo mediante ex intumescentiâ exteriore oritur interior, ob impedimentum in venas exteriore sanguinis regressum. Transversum aut obliquè inflicta fuit fractura; partes conteri potuerunt aut dimoveri; & inde exurgunt aliæ fracturarum Nasi species, transversales scilicet, obliquæ, cum triturâ partium, vel cum dimotione.

**FRACTURA** ossium Nasi nonnunquam detegi potest ope solutionis continui cutis & musculorum, aliquando etiam absque vulnere adest inæqualitas in superficie ossium Nasi quæ potest animadvertisi primo intuitu & simul denotare fracturam, nimirum si partes fractæ ita dimoveantur è sede propriâ, ut extus emineant; insuper digiti juxta externam Nasi faciem ducti, & digitus minimus, aut ipsius loco specillum linteo obvolutum in narem intromissum & contra faciem internam ossis Nasi impulsum, fracturam possunt detegere sive per inæqualitatem antea non existentem, sive per crepitationem collisione mutuâ partium fractarum productam. Non tamen semper cum eâdem facilitate dignoscuntur illæ fracturæ, propter ecchymoses & intumescentiam quæ ferè subito oriuntur tum in parte externâ, tum in parte internâ, & propter eximiam membranæ pituitariæ irritabilitatem, quæ sternutationem frequentem & molestam, imò & hemorrhagiam provocat.

Cartilaginum fractura rara quidem: cum tamen existere posset, eâdem encheiresi investiganda est ac fractura ossium; & an nares in alteram partem inclinentur cum Celso observandum est.

**DIVERSIMODE'** complicari posse fracturas Nasi, scilicet fracturâ laminæ perpendicularis, vulneribus, hemorrhagiâ, ecchymosi majori, syncope, doloribus vividis in capite & in sinibus ossis

coronalis, commotione cerebri, partium circumiacentium intumescentia & inflammatione, experientia docet; abscessus, ozænam, cancrum, polypos narum, canalis nasalis obstructionem, abscessum in oculi cantho, fistulam etiam lacrymalem subsequi posse fracturam Nasi, probant observationes nonnullæ.

Ex omnibus fracturis Nasi, simplices & compositæ, cæteris paribus, sunt minus periculosæ quam complicatæ; istæ vero sunt eò periculosiores quod complicationes sunt in gradu intensiori, diutius perseverant & pejori indele donantur.

UT CURARI possit fractura ossium & cartilaginum Nasi, reductio fieri, partes reductæ contineri, & accidentia præcaveri aut corrigi debent. Ægro commodè sito, introducitur in narem spatula linteo obvoluta, & contra partem fractam impellitur usquequod in statum naturalem reponatur; interea digiti alterius manus extus applicantur ut partes reducendas dirigant. Hæc tamen reductio in omnibus fracturis Nasi necessaria non est. Nam aliquando ita franguntur ossa ut partes fractæ nullatenus è sede propriâ dimoveantur, nullamque requirant reductionem; quo in casu, splenia medicamine idoneo imbuta & ope fundæ contenta sufficiunt. Venæ sectionibus, diætâ & quiete, accidentia procul arcere supereft.

SITUS ossium Nasi prope cranium, ipsorum cum cerebro, oculis & totâ facie mediantibus nervis connexio, vasorum sanguineorum & lymphaticorum, nec non nervorum per nares disseminatorum copia ingens, membranæ pituitariæ sensilitas eximia, transitus continuus & ferè necessarius aëris per nares, in causâ sunt, cur fractura minoris momenti respectu tenuitatis ossium & illorum ab actione musculorum immunitatis, gravior evadat, habitâ ratione periculi aut incommodorum quæ succedere possunt: itaque inter accidentium curationem adimplendam, non solùm ad ipsammet fracturam, sed & ad alias partes affectas convertenda est sollicitudo Chirurgi.

DOLORES vividi in fronte debellabuntur per sectiones saphenarum saepius celebratas, emollientia, & anodina extus applicata, sedantia, laxantia, & opiate. Qui dolores si viderentur periodici, scrutandum esset an à quodam vitio interno oriensur; tunc enim medicamenta interna vitio opposita forent adhibenda. Commotioni sanandæ opitularentur vulneraria extus

7

apposita & intus assumpta , quies , victus tenuis , venæ sectiones .  
Si vertigines adsint , laxantium , & cephalicorum usus , saphenæ  
sectio , valde juvant . Hemorragiam internam Narium , quantum  
fieri potest , applicatione stiptici super orificium vasis aperti , aut  
liquorem astringentem spiritu ducendo ; externam verò compres-  
sione leviori & stiptico compescere prodest . Antiphlogistica ,  
venæ sectiones pro re natâ celebratæ , medicamenta partium Nasi  
vicinarum inflammationibus extinguedis idonea , mittantur in  
usum . Abscessus qui post fracturam superveniunt , eadem  
methodo ac alii curari debent , cum tamen eâ cautelâ ut ape-  
riantur ex parte narium si fieri possit . Ozæna , cancri , po-  
lypi , fistulæ lacrymalis therapeutica nimis ampla & à curatio-  
ne fracturæ Nasi remotior est , quam ut illam aggrediamur .  
Quod ad vulnera attinet , annotare sufficiat balsamica & vul-  
neraria spirituosa ipsis competere , nec eadem segreganda esse  
à levioribus suppurantibus , si contusio sit vulneri conjuncta .  
Tandem , repositionem fragmentorum ossium nasi , ex omni  
parte solutorum & è sede propriâ dimotorum , potius tentandam  
esse quam extractionem ; & fistulas in alijs fracturis plerumque  
inutiles , cum felici successu adhiberi posse in casu fracturæ cum  
triturâ & vulnera interno , demonstrat Saviardi Observatio cvij .

Has Theses , DEO JUVANTE , & Præside M. STEPHANO-  
PETRO LE LAUMIER , Artium & Chirurgiae Magistro , &c.  
tueri conabitur PETRUS CAPDEVILLE , Aquensis , Artium libe-  
ralium Magister ,

*Iam eupresso*

P A R I S I I S ,  
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS ,

Die Sabbati 26<sup>a</sup>. Novembris , à sesqui secundâ post meridiem ad  
septimam , Anno R. S. H. 1763.

P R O A C T U P U B L I C O

E T

MAGISTERII LAUREA .

---

Typis P. AL. LE PRIEUR , Regii Chirurg. Collegii  
Typographi.

